fragilitatem suam impetu ventorum et aquarum confringitur; 131
aut propter gubernatoris imperientiam tardius ad portum 129
deducitur. Ideo quartum generale periculum addi potest, quod 135
incurritur ex imperientia vel ex pigritia aut negligentia et 125
somnolentia nauclerorum, et hoc similiter expertus sum. 140
Quantum autem sit periculum tempore ventorum, quo aliquis 120
habet de galêa in barcam descendere, vel de barca in galêam 180
ascendere, horribile est videre. Oportet enim tunc facere 080
passum unum aut saltum, et si casu pede non attigerit barcam, 230
aut galêam, in fretum cadet, et sine spe adjutorii periet. 030
Vide de hoc fol. 60. Insuper adhuc aliud extat periculum, quod non expertus excogitare non posset, nec inter pericula in libris de mare scribentium ponitur, et tamen molestissimum est, accidit tamen sine terrore. Dum enim cuncti venti conticescunt, et mare obmutescit, et tranquillitas undique adest; dico pro certo, dempto naufragio, quod talis tranquillitas maris et silentium ventorum molestior navigantibus est, quam quodcunque dictorum periculorum. Quando enim nulli flant venti, et mare sine motu est, et navis fixa subsistit, tunc omnia in navi marcescunt, et putrescunt, et muscida fiunt, aquae foetidae, vinum inutile, carnes etiam desiccatae ad fumum vermiculis plenae, tunc subito generantur infinitae muscae, culices, pulices, pediculi, vermes, mures, et glires, et omnes homines in navi redduntur pigri, somnolenti, caloribus squalidi, passionibus tristitiae, irae, invidiae impatientes et caeteris indispositionibus gravati. Paucos vidi in navibus mori in Ende
tempestatibus, multos autem in bonazibus, hoc est in navis Anfang
dicta quiete, vidi deficere et mori. De his omnibus patebit in processu. Aliis nominibus inveniuntur pericula maris designari, ut dicitur quoddam periculum bythalassum, syrtis, charybdis. Bythalassum, quando duo maria concurrunt, ex quorum concursu navis fluctuans periclitatur. Syrtis locus, ubi cumuli arenae sunt, et ubi mare inaequale est, ita quod in uno loco aqua profunda est, et prope est aqua vadosa, vel ubi mari insunt scopuli occulti, ad quos navis transiens potest impingi. Charybdis secundum fictiones poëtarum fuit quaedam vetula voracissima, quae quia boves Herculis furata fuerat, a Jove fulminata est, et (45 A) in mare praecipitata, quae usque

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;